



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119185

§. 117. Ejusdem P. Valeriani Epistola ad Papam contra Jesuitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

Sæc. XVII. Valerianus datus ad S. Congregationem
 A. C. 1656. literis hoc decretum asseruit subrepti-
 tium, & Jesuitarum Societatem tan-
 quam aut hæresi, aut atheismo cor-
 ruptam apud summum Pontificem de-
 nuntiavit, data Prunæ ad eundem se-
 quenti epistola die vigesima octava
 Aprilis.

§. CXVII.

*Ejusdem P. Valeriani epistola ad Pa-
 pam contra Jesuitas.*

Beatissime Pater!

Post beatorum pedum oscula, & ho-
 millimam meæ devotissimæ sub-
 jectionis contestationem: Ego Frater
 Valerianus a Mediolano, Sacerdos
 Ordinis Fratrum Minorum, nuncupa-
 torum Capuccinorum, jussus sub pœ-
 na excommunicationis latæ Senten-
 tiæ, aliisque expressis in Bullis sum-
 morum Pontificum, prædecessorum
 tuorum, denuncio Sanctitati tuæ, me
 per longam annorum seriem certo ce-
 tius observare, quod Clerici Regula-
 res, nuncupati Jesuitæ, dum inhiant
 divitiis, dominationi, & gloriæ supra
 omnes mortales, plurima palam com-
 mittunt prohibita, & omittunt præ-
 cepta sub pœna culpæ mortalis, nub-
 lum

„lum exhibentes indicium poenitentiae, Sæc. XVII.
 „sine qua sunt suspecti de hæresi: nimi- A. C. 1656.
 „rum si credant, eas commissiones non
 „esse sibi prohibitas, & omissiones non
 „esse sibi præceptas: Sin vero cognita
 „culpa inforDESCANT in illa, sunt suspecti
 „de atheismo. ,

„Expono hanc deductionem hoc
 „exemplo. Titius, Parochus in Civi-
 „tate inducit Notarium publicum, &
 „quatuor testes ad conficiendum Te-
 „stamentum falsum, cujus vafricie hæ-
 „res privatur hæreditate centum mil-
 „lium aureorum, quam Titius sibi usur-
 „pat, eversa iustitia apud Judicem:
 „Quem tamen, ut & Notarium, & te-
 „stes pronunciat in Sacramento Pœni-
 „tentiae immunes a culpa, & restitu-
 „tioni non obnoxios: se vero tuetur ad-
 „versus oppressos, & scandalizatos omni
 „genere aliorum bonorum operum, iis
 „exceptis, quæ obstant consequendis
 „divitiis, dominationi, & gloriæ, cu-
 „jusmodi sunt Oratio, Jejunium, Elee-
 „mosyna, & quæ habent meritum &
 „laudem ab austeritate vitæ. Hoc fa-
 „ctum involvit: „

I. *Crimen falsi in Notario publico:*

II. *Juramentum falsum quatuor te-
stium:*

III. *Furtum centum millium aurorum:*

A a 4

IV.

Sæc. XVII.

IV. Oppressionem Justitiæ apud Ju-

dicem:

V. Publicum Scandalum impœnitentiæ,
& impunitatis tot criminum:

VI. Abusum Sacramenti Pœnitentiæ.

„Hæ sex actiones prohibentur sub
 „culpa mortali omnibus hominibus per
 „legem divinam, naturalem, & posi-
 „tivam: qui vero id, aliaque ejusmodi
 „contumaciter negat, est hæreticus:
 „cui doctrinæ innixus, contestata ver-
 „tate facti, denuncio Sanctitati tue
 „præfatam Jesuitarum hæresim, vel
 „atheismum.“

„Verum antequam exponam non
 „paucas earum commissionum, & o-
 „missionum cum circumstantiis loci,
 „temporis, & personarum, & aliis eo-
 „spectantibus, volo asserere Sanctitati
 „tue innocentiam meæ Denunciatio-
 „nis. non tamen ab utilitate ex sup-
 „pressionem hæresis: ea est per se nota:
 „sed a circumstantiis meæ Personæ.
 „Nimirum, ab anno 1653. frequenter
 „in hanc Sententiam de Jesuitarum hæ-
 „resi scripsi ad S. Congregationem de
 „propaganda fide, aliisque Ministris S.
 „Apostolicæ Sedis: nec tamen extitit
 „unus, qui ullo modo improbaverit
 „hunc meum Zelum, quem propterea
 „credo Sanctum, & non displicere.“

„Ante

„Ante annos plus viginti exaravi Sæc. XVII.
 „scripto ad S. Congregationem de pro- A. C. 1656.
 „paganda fide quatuordecim commif-
 „siones, & omissiones, in quibus hæ-
 „rebant multis annis contumaces Ge-
 „neralis, & duo Provinciales Jesuita-
 „rum, & alii plures cum suis Assisten-
 „tibus & Consultoribus, quas sum exe-
 „cratus, velut involventes hæresim,
 „vel atheismum. Illi vero Patres Pur-
 „purati, cum ex me intellexissent, Je-
 „suitas spargere, me inde reprehendi,
 „literis suis patentibus, roboratis ap-
 „pressione sigilli, & subscriptione Emi-
 „nentissimi Cardinalis Borgiæ, ultro
 „laudarunt meum illud Scriptum &
 „Zelum, suaseruntque constantiam in
 „obsequiis exhibendis Sanctæ Sedi
 „Apostolicæ. Provoco ad Archivium
 ejusdem S. Congregationis.

„Ad hanc denunciationem fui ali-
 „quando animatus a Persona, quam
 „paratus sum manifestare cum decore
 „Actionis, quam instituo..

„Patri Wadingo Jesuitæ, tunc
 „Pseudo-Cancellario Universitatis Ca-
 „rolinæ, fatagenti conciliare Societati
 „animum meum, promisi mea humil-
 „lima obsequia, si doceret, præfatas
 „quatuordecim actiones non esse prohi-
 „bitas sub culpa mortali: Is vero sta-
 „tim, abrupto colloquio indignabun-
 „tus

Sæc. XVII. „dus se inde proripuit, nunquam postea
 A. C. 1656. „a me visus.

„Simili studio post aliquot annos P.
 „Nicolaus Lancittius Jesuita, Expro-
 „vincialis Lithuanizæ, unacum Barone
 „Breinero Decano Cathedralis Olmu-
 „centis, in præsentia aliquarum Nobi-
 „lium Personarum, multis suadebat
 „concordiam cum Societate: cui cum
 „prælegerem meum scriptum de illis
 „quatuordecim actionibus, non suffi-
 „civit finem lectionis, sed illico evasit
 „nec meis literis de hoc argumento
 „ad se datis respondit, nunquam post
 „hæc a me visus.„

„Cum hæc & alia ejusmodi plura
 „me stimulant ad denunciandum S.
 „Sedi Apostolicæ hanc gliscentem, seu
 „potius grassantem in illa Societate hæ-
 „resim, humiliter ea de re monui, et
 „nostro Monasterio Romano per Episc-
 „opolam Mutium Vitellescum Jesuitæ
 „rum tunc Præpositum Generalem, cu-
 „jus copiam exhibui Urbano VIII. Fel-
 „icis summo Pontifici, necnon & non-
 „nullis Cardinalibus, qui etiamnum
 „vivunt, exemplarque ejusdem Episc-
 „opolæ destinavi ad glor. mem. Cæsar-
 „em Ferdinandum II. ut disposita et
 „tunc Denunciatio juridica esset inno-
 „centiæ, ubi Evangelica correctio mihi
 „effecisset. Nullum a Mutio retuli re-
 „spon-

„sponsum: nullam in Societate notavi
 „emendationem. „

Sæc. XVII.
 A. C. 1656.

„Hisce igitur asseruerim sufficienter
 „innocentiam meæ Denunciationis,
 „velut institutæ secundum normam
 „Evangelii, Sacrorumque Canonum,
 „ad conservandam fidei & morum pu-
 „ritatem. Verum ea spectat, & meam
 „incolumitatem, quam velim protectam
 „contra Jesuitas, qui propterea me vo-
 „lunt extinctum, imo sepultum etiam-
 „num viventem, cum tanto dedecore
 „eorum, quorum protectionem invoco,
 „ut hoc meum privatum commodum
 „spectet Catholicæ fidei integritatem.
 „Id vero exponam proximis meis literis.

Insuper prodiit anno hujus sæculi
 sexagesimo primo, liber, cui titulus:
Valeriani Magni defensio Catholica adver-
sus Societatem Jesu hæresi vel Atheismo
infectam. Hæc tamen apologia postmo-
 dum Colonizæ flammis tradita est. In-
 terim vero epistola in vulgus sparge-
 batur, perinde acsi die vigesima octava
 Martii ab ipso Ernesto Principe Rhein-
 felfia ad Valerianum scripta fuisset, re
 tamen ipsa *Jesuitæ in Principis Persona*
 ut ait Valerianus (*), loquebantur, quos
 puduit eam excerere sub suo nomine. In
 hisce

(*) Valeriani epistola ad Cardinales vid.
 Apol. Valerian. pag. 63.

Sæc. XVII hisce literis præter alia Princeps hæc
 A. C. 1656. ad Valerianum scripsisse fingitur: Su-
 tius erit, prout ante monui, si Romam ear,
 atque illic defendas Rheinfelsenem tuam
 assertionem, non posse nimirum Primatum
 Romani Pontificis (id est, jurisdictionem
 Ecclesiasticam S. Petro, atque in eo Suc-
 cessoribus concessam) ex solo sacro textu
 probari: si causam istam peregeris, te re-
 ducem, & victorem cum processione exi-
 piemus, scriptumque Patris Rosenthal Co-
 loniæ & Moguntiaë publicis flammis di-
 de exuretur.

. Mi Valeriane, si, quantum tua
 valeant, experiri cupis, Romam quæso pro-
 ficiscere: Sumptus itineris non tantum ego
 largiar, sed & a Superioribus licentiam
 pro te petam, ut & sistere te possis coram
 summo Pontifice Alexandro VII. atque illi
 causam tuam agere, &c.

. Noli autem existimare, mihi
 aliisque cognitam non esse causam,
 cur tibi, cum Ratisbonæ esses, Roma man-
 datum fuerit, ne quos alios libros publi-
 cares: interpretaris quidem tu, id ob po-
 liticas considerationes factum fuisse, ne Pro-
 testantes inde offenderentur; at quæ veri-
 militudo in eo? & cur P. Keddio Jesuita,
 aut P. Alphonso Staimos Augustiniano to-
 lis inhibito facta non est? quorum uterque
 hic publicis e suggestu concionibus, aliter
 multis editis scriptis non cessabat in iisdem
 Comi-

Comitiis Protestantes infestare. Certe *ri-* Sæc. XVII.
A. C. 1656.
sum mihi excusserunt approbationes, & en-
comia, quæ pro te citasti. Dominus Mes-
hovichius quidem, qui alias censuræ librorum
præesse non solet, ut & alii Colonienses in
letitia illa, quam de conversione mea con-
ceperant, non fuere parci talium. At quis
non novit, quam facile istæ approbationes
impetrentur, dum multa in honorem perso-
næ, quæ talia petit, transmittantur: quod si
ad exactam & rigidam incudem revocandæ
essent, asperiores censuram vix effugerent.

Literæ autem D. Massarii, qui Congre-
gationi de Pr. f. a secretis est, parum ad-
rem faciunt: aliter enim per civilitatem vix
poterat tibi respondere.

Minus bene etiam erga Patres Societa-
tis affectus (scilicet Massarius) tuo in-
eodem odio tanto promptius potuit
velificari.

Noli autem existimare, tui causa non
prohibitum fuisse Romæ commentarium tuum:
contigisset id haud dubie, nisi prudenti con-
silio consultius visum fuisset talia suppri-
mere, ne magis curiositas ex prohibitione
accenderetur.

Facile hinc apparent motus animi tui:
& quidem de te metuendum fuisset post
causam tuam Romæ damnatam.

Vide enim, te multo majores, cum se-
mel laxarunt fræna affectibus suis, in quas
postea miserias se non præcipites dederint.

Inter

Sæc. XVII.

A. C. 1656.

Inter alia autem, quæ in te displicere possunt, jactantia tua ista est, quæ nunquam non gloriaris de tua Apostolica ad hæc Rheni partes missione, quam tu quidem cum ipse sollicitaveris, non decebat de ea tantum triumphum agere, & tanquam si multa crimina patraueris, te efferre. Crede mihi, non ita affectus erat P. Rosenthal. Presertim si forte aliquid ad Conjugis meæ conversionem, in qua Deus tua opera uti voluit, at extra hanc non est, quod alia tibi triumphæ singas, Baronis Bomburgi conversionem ad fidem catholicam falso tibi adscribitur æque, ac mea; uterque enim nostrum profecit lectione librorum de fidei controversiis, quam colloquiis Religiosorum, & debemus id donum divine miserationis & gratiæ. Non dico hoc ideo, quod me tibi pudeat, prout tu id interpretaberis, sed ut veritati patrocinium præstem. De dotibus tuis, quas Deus tibi non temendas largitus est, plus præsumis, quam debebas, utens illis ad fastum & vanitatem. Ipse nosti, cum primum me Viennæ apud Archiducum Principem vidisti, me jam sententiam catholicæ veritatis in pectore fovisse: tu autem ultro per literas operam tuam Romæ obtulisti, ut huc venienti prætestas esset, putabas nimirum pro gloria, aut, quod vereor, pro tua quoque gloria, aliquid magni præstantiæ occasionem fore.

Debet

Debes autem hoc fortunæ beneficium, *Sæc. XVII.*
 quod tres illi Protestantium hæreticorum *A. C. 1656.*
 doctissimi Calixtus, Crocius, & Haber-
 hornius, metu aliquo, ne inter se discordes
 in mutuas rixas prorumperent, Franco-
 furtum venire recusarint, si enim eo venis-
 sent, quæso quid de te factum fuisset?

Operæ pretium non est, longiori resu-
 tationi omnium aliarum tuarum calumnia-
 rum, & ineptiarum immorari, quas contra
 R. Patrem Rosenthal, totamque Societatem
 effutisti, &c. Imo securus sum, si quis
 decimam partem tuorum defectuum monstrat,
 illum a consortio Ordinis istius protinus e-
 liminandum.

Porro Valerianus de hac epistola,
 quam a Jesuitis confictam existima-
 bat, vehementer querebatur apud
 S. Cardinalium Congregationem datis
 ad eam Vienna literis die vige-
 sima septima Maji anno hujus sæculi
 quinquagesimo nono, ad cujus calcem
 hæc subjunxit: *His a me relatis probatum*
volo Vobis (Patres Eminentissimi) vestras
prohibitiones, de non edendis meis operibus,
animasse, & armasse, animare, & armare
hæreticos, & Jesuitas, ad coniliandam
mihî infamiam hæreseos, & morum cor-
ruptorum, me exarmato: quibus præpedi-
tus talia patior.

Nec his contentus anno sequenti
 Mense Novembri suam *Apologiam contra*

Sec. XVII. *imposturas Jesuitarum* conscripsit, eam-
A. C. 1656. que insuperhabito mox allegato Pon-
 tificis decreto, quo id sub anathema-
 tis poena prohibebatur, typis edi-
 curavit, atque in ea ipsum summum
 Pontificem in denegatæ justitiæ suspi-
 cionem trahere non dubitavit: quocirca
 Praga Viennam vocatus, Nuntium
 Apostolicum accessit, eidem declarans
 se esse paratum Judici interroganti re-
 spondere, & convictum se, poena capi-
 tali satisfacere accusanti: cum autem
 summus Pontifex eum in carceres con-
 jici, captumque Romam pro dicenda
 causa abduci jussisset, hinc, licet po-
 dagræ doloribus misere cruciatus jam
 septuagesimum tertium ætatis annum
 egisset, a militibus e monasterio suo
 extractus, in ergastulum detrudeba-
 tur, a quo tamen paulopost per Ferdin-
 andum III. Imperatorem liberatus,
 Salisburgi annos natus septuaginta
 quinque pie in Domino obiit.

*Rel. verid.
 de pio obitu
 P. Valer.*

§. CXVIII.

*S. Inquisitionis Decretum de Sin-
 rum ritibus.*

*Vid. supra
 l. 201. §. 66.
 t. 61. p. 218.*

Quantumvis Pater Joannes Morales
 ex ordine Fratrum Prædicatorum
 Missionarius Apostolicus Innocentii X.
 decretum circa ritus Senenses, cujus
 mea-